

requiri, quod Confessarius de omnibus, quæ audit à penitente, iudicet, an sint peccata gravia, vel levia; imò neque, an sint, vel non sint peccata, sed de communibus; reliqua verò audiat, & intelligat, ac postea absolvat, cum debita intentione; quia si non tenetur omnia peccata cognoscere, minimè tenebitur determinatum iudicium de omnibus ferre.

3605. Item sciret debet spectantia ad restitutionem, requisita in penitente, ut sit rectè dispositus, & remedia peccatis opportuna, insuper casus reservatos, censuras, & irregularitates.

3606. Confessarii regulares ex suis privilegiis, extra Italiam, & intra Urbem absolvere possunt toties quoties, ab omnibus casibus Pontificiis, exceptis casibus 20. reservatis in Bulla Cœnæ Domini, & casibus reservatis Episcopis pro singulis respectivè Diocesis. Idem verò intra Italiam, & extra Urbem absolvere pariter possunt toties quoties, ab omnibus casibus Pontificiis, exceptis casibus Episcopis reservatis, casibus 20. reservatis in Bulla Cœnæ Domini, & insuper aliis sex casibus Pontificiis, qui post præfatos 20. referuntur. Unde Confessarii Regulares solum horum, & casuum in propria Religione reservatorum debent memoriam tenere. Insuper absolvere non possunt nominatim excommunicatos per sententiam ab homine, nisi virtute Bullæ Cruc. & satisfacta parte. Vide in p. 2. prop. 12. ab Alex. VII. damn.

3607. Confessarii autem Sæculares ultra præmissas, debent quamplurimum aliarum censurarum reservatarum memoriam tenere; quapropter omnium catalogum pro Confessariis commode appolui.

3608. In casibus difficilioribus, sufficit, quod sciat dubitare; & tunc si sit periculum errandi, v. gr. circa impedimenta matrimonii, restitutionem, censuram reservatam, &c. debet absolutionem differre, usquequo libros consulat, aut doctiores.

3609. Sacerdos notabiliter in scientia deficiens mortaliter peccat, si ad audiendas Confessiones se exponat. Major autem, aut minor scientia requiritur, & sufficit, juxta locorum, & penitentium diversitatem, juxta illud 1.ª 24. *Erit sicut Populus, sic Sacerdos.* Sæpè penitentes docti possunt Confessarios juvare. Vide num. 278. 2683. 3233. & 3312.

CONFESSARIÏ PRUDENTIA.

3610. **D**ebita prudentia Confessarius utetur, si accuratè sui, & Sacramenti conditionem attendat. Est hoc Sacramentum *secunda tabula post naufragium*: adeoque Tribunal penitentiae, sed misericordiae, & portus salutis. Est ipse *Judex*, sed pater, & medicus, atque pacis mediator inter Deum, & hominem. Quamvis igitur munus Confessarii, per se sit audire, non interrogare penitentem, sæpè, attenta penitentis conditione, eum interrogare tenetur.

3611. Et quidem non est opus interrogare penitentes, si sint docti, aut licet non sint docti, sint tamen satis instructi ad peccata cum suis circumstantiis aperienda; sed eos, quos advertit non bene

examinatos, aut adjutorio indigere; idque humano modo, ne penitentes nimium vexet.

3612. Pro qua re sciendum est, pro integritate confessionis exprimentum esse numerum certum, & determinatum peccatorum mortalium, quando constat; quando verò non constat, sufficit exprimere numerum probabilem, aut verisimilem, addendo particulas *plus minusve*, vel *circa*: quæ verba se extendunt ad parvam summam iudicio prudenti respectivè ad numerum, cui adduntur: v. g. in numero denario ad duo, vel tria, in centenario ad decem; & sic qui confessus est, se peccasse circa decies, si postea recorderet peccasse per alias tres vires, non tenetur hæc tria consiteri; tenetur verò, si plurimum recorderet.

3613. Qui verò bona fide confessus est, peccasse vigesies, & postea inveniat, peccasse solum decies, non tenetur talem numerum retractare; nam in numero majori continentur minor, & sic confessio est integra.

3614. Quando non potest haberi numerus probabilis, dicenda est frequentia in die, septimana, mense, vel anno, quantum humanitus fieri potest; quòd si neque hoc fieri possit, sufficit dicere consuetudinem, & tempus peccandi.

3615. Hæc modo audiri debet concubinaris, qui diu concubinam domi retinuit, & meretricis; debent enim explicare numerum fornicationum, quot in die, septimana, mense, vel anno; quod si non possunt sine periculo magni erroris, sufficit, quod exprimat tempus, per quod in malo peccaverunt.

3616. Caveat, ne simplices interroget de peccatis fortè illis ignotis, ne sic eos ad peccandum doceat. Interrogationes in materia castitatis, maxime cum mulieribus, sint paucae, & cautæ, ne nimium ruborem afferat, ignorantem doceat, aut in aliquod periculum delectationis se, vel penitentem ponat; quod si id timeat, potius patiat, ut aliquid integritati materiali desit. Busemb. lib. 6. tit. 4. cap. 2. dub. 6.

3617. Penitentes, dum confitentur, non interruptant, sed solum, quando advertit, eos desicere, aut confundi, suggerat, ac adjuvet, & statim siltat. Nunquam vultum asperum, aut gestum aliquem horrois ostendat, nunquam inter confitendum reprehendat, sed verbis dulcibus ad confitendum alliciat: Confessione vero completa, tunc, ut oportet, moneat, reprehendat, & curet; ita tamen, ut in reprehendendo iram non ostendat, sed amorem; aliquid tamen non sit in ore, nisi *filii, filia*: sic ore charitatis pleno dignoscere faciet penitentem malitiam peccati, offensam Dei, damnum animæ, & corporis, pericula, inquietudines, &c. ut ita penitentem non confundat, sed lucretur.

3618. Confessarius advertens, penitentem ignorantem alicujus mali gravis laborare, si orta aliqua dubietate, penitens cum interroget, tenetur veritatem aperire, quia silentium esset erroris approbatio. Si verò penitens eum non interroget, si Confessarius ad-

advertat, ignorantiam esse vincibilem, & culpabilem, tenetur eum monere, quia est indispositus, & in malo statu, ac providè non absolvendus, nisi velit desistere, & malum reparare.

3619. Si vero advertit, ignorantiam esse invincibilem, quatenus v. gr. bona fide rem alterius detinet, matrimonium cum impedimento dirimentis contraxit, &c. tunc, si prævidet, seu prudenter timeat, admonitionem non profuturam, nempe penitentem non restitutum, aut adhuc cum conjugum mansurum, &c. cum monere non debet; quia monitio caret sine, imò est occasio majoris mali; quoniam per monitionem ille, qui prius erat in statu peccati materialis sine offensa Dei, constituitur in peccato formali cum offensa Dei. Hinc S. August. relatus in cap. *Si quis*, de *Pœnit. dist. 7.* inquit *si scirem tibi non prodesse, non te monerem, non te tererem.* Idem die, si ex monitione timeat, aliquod magnum damnium, aut scandalum fecit, v. gr. ex conjugum separatione filiorum periculum, parentum hostilitates, &c. Maltrius *disp. 21. q. 8. num. 216.* Lugo, Villalobos, Diana, Tamb. *tom. 2. in Meth. Conf. lib. 3. cap. 4.* ubi addit, quod in tali casu, si penitens sciat, peccatum in contrahendo matrimonio commisit, nesciat verò invaliditatem, de peccato absolvat, at invaliditatem non ostendat.

3620. Confessarii Principum, Prælatorum, scientes, eos non satisfacere proprio officio, v. gr. circa collationem beneficiorum, electionem Ministrorum, gubernationem subditorum, circa elemosynas ex bonis Ecclesiasticis faciendas, &c. tenentur eisdem de sua obligatione monere, alias erunt eorum peccatorum participes, & unus alterum ad inferna trahet; quia raro eorum ignorantia est invincibilis, & raro id evenit sine damno communi, & sine scandalo subditorum putantium familia licere.

3621. Confessarius (ait Gobat *tom. 3. de Voto, num. 393.*) tenetur ex charitate sequi opiniones probabiles, quando sectando severiores, conjicit penitentem in periculum peccati formalis.

3622. Parochus, si ex confessione penitentis dignoscit impedimentum dirimentis, & matrimonium sit contractum, gerere se debet ut in num. 3618. & 3619.

Si non sit contractum, debet illum monere, & si opus fuerit, terrere, ne contrahat: at si persistat in contrahendo, non potest illum à matrimonio repellere, sicut nec potest ab Eucharistia. Imò nec potest illum post confessionem monere, abique eo, quod prius ab illo licentiam petat, & obtineat. Ant. à Spir. S. de *Sacram. Pœnit. tract. 5. disp. 15. sect. 6. num. 1557.* cum Bonac. idque ratione sigilli sacramentalis, ex num. 3206. & 3222.

3623. Si ipse solus impedimentum occultum sciat extra confessionem, non potest ad matrimonium procedere, sed tenetur illud Ordinario manifestare. Anton. à Spir. S. de *Matrim. tract. 11. disp. 4. sect. 14. num. 212.* quia bonum Sacramenti præva-

let juri particulari secreti naturalis, ut in *tom. 2. num. 57.*

QUÆRES I:

3624. Petrus, qui bona fide contraxit cum impedimento dirimenti, quod etiam in statu conjugii ignorat, fecit votum cum juramento de non reddendo debitum uxori: accedit pro confessione ad Parochum pro tali voto violato, Parochus scit impedimentum dirimens, quomodo se gerere debeat?

Resp. Si Parochus prudenter putet, quod ex manifestatione impedimenti nullus speretur profectus, sed potius damnium, non tenetur illud aperire, juxta num. 3619. Quia penitens non perit, an habeat impedimentum (tunc enim utriusque teneretur positivè respondere, ut in num. 3618.) sed confiteatur peccatum in faciendo votum de re alteri debita, aut de eo ex conscientia erronea violato. Unde tunc se gerere debet, sicut cum eo, qui operatur ex conscientia erronea, & indè dicere, votum non tenere, imò à peccato in eo emittendo absolvere; nec tunc mentitur; quia stante conscientia erronea, sic votendo peccavit, nec votum servare tenetur.

QUÆRES II:

3625. Dum duo sponsi accedunt cum pompa, & comitatu ad Ecclesiam ad matrimonium contrahendum, alter eorum recordatur impedimenti dirimentis. Quid iste agere debeat, ut se retrahat sine infamia, & scandalo?

Resp. Si impedimentum non afferat infamiam, aut scandalum, ut si sit affinitatis ex copula licita, &c. tunc debet ipse sponsus illud manifestare, & indè se retrahere, usquequo de remedio provideatur, vel penitus desistendo, vel dispensationem petendo.

3626. Si impedimentum afferat infamiam, aut scandalum, ut si sit affinitatis ex copula illicita, &c. tunc debet requirere Parochum pro confessione, occasione reconciliationis, & ei aperire impedimentum; Parochus autem potest sponsum monere, ut statim voveat castitatem, quo peccato, de licentia penitentis dicat, eos non posse contrahere; quia sponsus ille habet impedimentum voti, quo indiget dispensari, & nesciat.

3627. Quod votum debet verè emitte, aliàs Parochus mendacium proferret, quod quamvis veniale, nulla ratione dishonestari potest, cum sit ab intrinseco malum: Potest autem emitte ad breve tempus, ut sic sponsus, si nolit, aut non passim pro dispensatione impedimenti dirimentis recurrere, possit, voti tempore elapso, cum alio contrahere.

PRUDENTIA CUM MONIALIBUS

3628. **E**sse debet eximia. Si Confessarius deputatus pro omnibus indifferens, donaria à particularibus haud recipiat, nunquam loquatur, nisi quæ ad confessionem, & salutarem animæ instructionem conducunt, non sit asper, nec indiscretus in zelo: morum reformationem; minimè

totam, & simul, sed paulatim procurrat, ne totum volens, totum perdat, & ovem amittat.

3629. Monere tenetur Monialis de conscientia erronea contra se ipsam, etiamsi sit super aliqua regulari observantia, quam erroneè putat obligare sub mortali; quia si sunt vitanda peccata, quæ committuntur scienter, quanto magis, quæ ignoranter? Et cum sit sermo de mulieribus, valdè juvat attendere doctrinam, & dictum D. Thomæ in pag. 22. num. 151.

3630. Quando autem conscientia erronea est super observantia regulari, debet quidem monere, quod ejus omisio non sit mortalis, sed debet simul firmis motivis enixè talem observantiam suadere; ita ut monitio sit ad peccatum mortale vitandum, minimè ad observantiam omittendam.

3631. Prompta habeat remedia contra scrupulos, & valida motiva ad ostendendam mundi mala, ac suavitatem Religionis, & jugi Christi in comparatione ad jugum mundi.

3632. In occasione proxima utatur consideratione offensæ Dei, quatuor Novissimorum, maximè mortis, vitæ, ac pœnæ æternæ; atque etiam motivis politicis, famæ, honoris, cum reflexione ad honestatem natalium, & ad pœnam, atque inquietudinem animi, & corporis, quæ in similibus experitur.

3633. Sit eruditus super propriis Monialium Regulis, & observantiis, ut firma sint ejus responsa, & consilia, in mente habens, contrarietatem responsonum, & consiliorum scandalum parere Monialibus.

3634. Denique omnino ab opinionibus laxis se abstineat, æquitati tamen se accomodat.

PRUDENTIA IN OCCASIONE PROXIMA.

3635. **O**ccasio peccandi est duplex, remota, & proxima. *Occasio proxima* est illa, in qua homo positus circumstantiis attentis experitur, quod sæpè sapius, & frequenter cadat in novum peccatum. *Occasio remota* est illa, quæ attentis circumstantiis non est frequenter (licet sit rarè) cum peccato conjuncta. Undè maximè sunt attendendæ circumstantiæ personæ, loci, firmitatis doloris, &c. hinc sæpè eadem occasio carnis, seu conversatio mulieris, quæ juveni est proxima, seni, aut juveni timorato, qui peccatum abhorret, est remota.

3636. *Occasio proxima* propriè dicitur duo, videlicet occasionem extrinsecam, & periculum formale proximum peccandi; quæ duo separari possunt, nam potest esse occasio extrinseca sine periculo proximo, ut in sene, &c. & periculum proximum sine occasione extrinseca, ut in juvene consueto ad se polluendum; ubi sine occasione extrinseca est periculum proximum peccandi ortum ex habitu pravo intrinseco.

3637. *Periculum formale proximum* est illud,

quod circumstantiis attentis, ita inclinatur, & movetur ad peccandum, ut in persona similis conditionis soleat esse frequenter cum peccato conjunctum. Periculum verò materiale, seu remotum est illud, quod non est hujusmodi. Periculum formale aliud est extrinsecum ortum ex occasione extrinseca, aliud intrinsecum ortum ex prava conditione ipsius hominis.

3638. *Occasio proxima*, licet sit frequentior in peccatis carnis, in quolibet tamen peccato mortali potest contingere.

3639. *Concubiniarius* est, qui mulierem, cum qua frequenter peccare solet, domi retinet vel exera pro se expositam.

3640. Qui est in occasione remota potest absolvi, alioquin (ut inquit *Apost. 1. ad Cor. 5.*) *debuimus omnes exire de mundo*; nam etiam in ipsa solitudine, & in artibus licitis adest occasio remota peccandi, possunt tamen bene excerceri.

3641. Qui est in occasione proxima involuntaria, quatenus non est in sui potestate eam repellere, potest absolvi, dummodo concurrant quatuor in num. 3633. exposita. Ratio est; quia occasio peccandi in se non est peccatum, nisi sit voluntaria; & qui in ea est, potius dicitur eam pati, quam in eam se committere. Talis occasio involuntaria contingere potest in filio familiarum cum familia domini, inter fratres, sorores, filios, & filias familiarum, & similes conjunctos, qui non sunt sui juris, habitantes in eadem domo sub cura parentis, avi, patris, &c. item in serva respectu domini. Consilarius servam alstringat, ut totis viribus resistat, & non ostendat reciprocantiam amoris. Dominus tamen absolvi non potest, quia in eo occasio est voluntaria, & libera; imò serva, si dominus non se emendet, potest licetè fugere, aut dominum compellere, ut eam alteri vendat. Cum istis tamen debet se gerere Confessarius sicut cum recidivis differendo aliquando absolutionem, & difficilem se ostendendo, quando absolvit.

3642. Qui est in occasione proxima voluntaria, quam feliciter libere potest repellere, & non vult, absolvi non potest, etiam semel, quia est indispotus ob defectum veri doloris, & propositi; imò est in continuo peccato mortali juxta illud. *Qui amat periculum, peribit in illo*, quia occasio proxima voluntaria, & periculum formale proximum voluntarium, si assumatur, est peccatum ejusdem speciei cum actu, ad quem ordinatur; qui enim in illam, seu in illud libere se conjicit, habet iudicium probabile prudens, quod peccat, adeoque virtualiter vult peccatum. Undè licet, si sequatur actus principalis, v. gr. fornicatio, non sit opus circumstantiam periculi in confessione aperire, sed sufficiat actum principalem exprimere, si tamen non sequatur, opus est exprimere, se conjecisse in periculum proximum, seu occasionem proximam talis peccati. Eadem ratione nemini licet querere directè occasionem pro-

ximam peccandi pro aliquo bono spirituali, aut temporali. *Vide in pag. 5. prop. 61. & 63. ab Innoc. XI. damn.*

3643. Eum, qui est in occasione proxima voluntaria peccandi, seu concubiniarius potest semel, & iterum absolvi, antequam è domo concubiniariam ejiciat, dummodo firmiter proponat ejicere, tenent Leander *tract. 5. dist. 7. quest. 35.* & quamplures apud illum; sicut qui tenetur restituere rem, quam possidet, potest semel, & iterum absolvi.

3644. Dico tamen, eum, qui habet occasionem proximam, nempe extra propriam domum, potest semel, & iterum absolvi, dummodo firmiter promittat occasionem expellere, & in eam amplius se non committere. Moneo tamen Confessarium, ut post opportunas monitiones, protestetur se eum pro ea vice absoluturum; hoc namque medio interdum usus sum, & expertus sum fructum; penitens namque terretur, dum videt sibi denegationem absolutionis comminari.

3645. Ille verò, qui retinet occasionem proximam voluntariam, nempe mulierem in propria domo, nec semel debet absolvi nisi prius illam ejiciat. Paludanus, D. Anton. Sylvester, & alii, quia cum *fiemina semper esse, & non cognoscere feminam, nonne plus est, quam mortuum suscitare?* Ait Bernardus *Serm. 64. in Cant.* quam securitatem salutis potest presumere homo, dum detinet leonem in sinu?

3646. Quòd si cessaverit periculum formale, & proximum de novo peccandi, tam corpore, quam mente, v. gr. propter senectutem, infirmitatem, cognitionem de novo ortam, &c. aut quia propositum amplius non peccandi sit ita intentum, & solidum, ut revera vir, & mulier sint emendati, & simul habitent ut frater, & soror, idque diuturni temporis experientia constet; tunc vir, nec tenetur mulierem è domo ejicere, nec ab absolutione impeditur, etiam intermedium, rarò tamen, peccaverint; dummodo non adit scandalum viciniæ, quatenus concubiniatus fuit occultus, vel si publicus, ex testimonio tamen Parochi, aut alia via constet de emendatione, & quod vivant, ut frater, & soror. Leander *cit. q. 40. 41. & 43.* cum aliis; quia tunc occasio de proxima facta est remota, & periculum de formali, & proximo, factum est materiale, & remotum, ut constat ex num. 1635. & 1636.

Nec locus præcisè sumptus est occasio proxima, alioquin in omni loco esset occasio proxima. Carden. *dist. 40. cap. 4. art. 2. num. 63. cap. 5. art. 2. num. 78. cap. 7. art. 1. num. 126.*

3647. Hic facit exemplum, quod adducit Cardenas *dist. 40. cap. 2. num. 19.* Sint duo homines, unus quorum ingrediatur domum, in qua consuevit peccare, cum proposito rapido, & remisso, quod non sit peccaturus; alter ex causa necessaria ingrediatur in similem occasionem, munus tamen solido timore Dei, intensissimo proposito non peccandi, ac fervente oratione, atque experientia, quod sic aliquan-

do munitus fuerit firmus in servando proposito; tunc primus se constituit in periculo formali, non sic secundus.

3648. Bertaldus in *Direct. 9. pr. Dicit. in sine num. 3.* ait: *Quod mulier habitans in domo, ubi peccat, si non remittat frequenter, sed rarè, puta ter, aut quater in anno, secundum Gratianum; aut semel in mense, secundum Celestinum in Compend. Theol. Moral. absolute possit, dummodo absit scandalum; quia talis cohabitatio raro ad peccatum incitans, non est amplius occasio proxima, quoniam possit vir ille ita cum alia muliere extra peccare, absque eo quod esset occasio proxima, aut impediretur absolvi.*

3649. Imò in regulis prudentiæ in Confessione, 3. regula, ait ex quodam Casista: *Quod ille, qui expertus est, quod non est in tali occasione per tres vires repletus, quin una vice ceciderit, eam censere debeat occasionem proximam.* Ita serè ille.

3650. Cæterum hic casus emendationis ex firmo proposito in occasione proxima mulieris in propria domo, est quidem possibilis, sed rarus, & singularis, ut inter corvos corvus abusus; unicum remedium est vel matrimonium, si illud inire possit, vel separatim, quoniam in materia carnis victoria non habetur nisi per fugam. Unde nunquam Confessarius in occasione proxima voluntaria debet huic proposito quantumvis intenso se fidere, & absolvere, si concubiniarius potens concubiniariam è domo ejicere, in proposito sifus nolit ejicere; quia ex regularitate contingentibus tale propositum non solet executioni mandari. Videri potest Cardenas *dist. 40. cap. 4. art. 2. & cap. 5. art. 2.*

3651. Ab occasione proxima extrinseca repellenda non excusat causa aliqua utilis, aut honesta; ut constat ex num. 1050. imò nulla alia causa est sufficiens, nisi sola impossibilitas physica, aut moralis, quia hæc reddit occasionem extrinsecam involuntariam. Impossibilitas physica est in iis, qui non sunt sui juris.

3652. Difficultas est in discernendo quando adit *impossibilitas moralis*, pro qua re ita discurrunt Cardenas *cit. cap. 5. 6. & 7.*

Ad impossibilitatem moralem constituendam requiritur causa necessaria, seu urgens, quæ superet vires fragilitatis humane; talis censetur, si ex separatione sequatur valdè grave detrimentum in vita, fama, aut bonis. Ita Doctores communiter, Bertaldus de peccatis in regulis prudentiæ in Confessione, 3. regula præsertim Leander *hic tract. 5. dist. 7. quest. 36. & 38.* (qui tamen in *quest. 39.* plus æquo se extendit circa gravitatem detrimenti) quia tunc non dicitur velle occasionem proximam extrinsecam, sed pati, & permittere, ut damnum evitet.

3653. Ille autem, qui non potest repellere occasionem extrinsecam, tenetur vitare periculum formale peccandi per actus proprios, nimirum. 1. Per verum, & firmum dolorem de præteritis. 2. Per intentum, & solidum propositum solus cum sola non

alloquendi, imò totis viribus mulieris aspectum vitandi: insuper quod si casu, aut aliqua causa, occasio occurrerit, Dei gratia non peccabit. 3. Per verum propositum, & promissionem separationis, quando erit possibilis cessante impossibilitate morali. 4. Per fervidam orationem pro divino auxilio, & frequentiam Sacramentorum, maxime confessionis cum eodem Confessario; à quo medio vitandi periculum formale per actus proprios nulla causa sufficit ad excusandum, etiam si sit periculum vitæ, quia præfata media, nempe firma detestatio peccati, propositum constans, & imploratio divini auxilii, &c. sunt in potestate cujuslibet hominis, adeoque ad illa quilibet homo tenetur, etiam cum periculo vitæ; nam quilibet homo tenetur ad vitandum peccatum mortale, etiam cum periculo vitæ.

3654. Non sufficit propositum remissum, & tepidum, quia non est sufficiens ad vitandum, aut saltem extenuandum periculum formale peccandi; sed requiritur valde intentum, & constans.

3655. *Sit exemplum:* Puella post diuturnum tempus concubitus, conscientia moribus mota accedit ad Confessarium, exponens impossibilitatem moralem exeundi ex ea domo, seu necessitatem moralem in ea permanendi, quia alias, utpotè omni spe humana destituta, aut fame periret, aut in majus malum, nempe in publicum meretricium caderet; Confessarius, cognita impossibilitate morali occasionem extrinsecam repellendi, eam monuit, ut periculum formale vitaret, aut saltem extenuaret per actus proprios, & resistendo, ut supra: respondit mulier, se non posse elicere firmum, & verum propositum resistendo libidini complicitis, quatenus resistendo incurrit eandem impossibilitatem moralem, quoniam certò cognoscit, quod tunc è domo expelleretur, & ita eadem mala incurreret.

3656. In hoc casu Confessarius non potest hanc puellam absolvere, nisi è domo illa egrediatur, quia impossibilitas moralis excusat à repellenda occasione extrinseca, at non excusat à proposito firmo repellendi periculum formale per proprios actus, ob rationem allatam, adeoque in hoc casu impossibilitas moralis dicti propositi est vincenda per repulsionem occasionis extrinseca.

3657. Ista igitur puella non potest absolvi, nec deobligari à repellenda occasione extrinseca, quia non habet efficaciam, & constans propositum vincendi periculum formale per proprios actus, & resistendo constanter, non obstante, quod sit è domo expellenda, ita ferè discitur Cardenas cit. Qui tandem ad paritatem de concubinario, qui ob impossibilitatem moralem excusatur ab expellenda muliere in cap. 7. art. 3. num. 148. respondens, ait: *Diversa itaque est ratio in concubinario, qui urgentissima necessitate coactus retinet feminam: iste enim potest per propositum efficaciam, & implorationem divini auxilii extenuare periculum peccandi: hæc autem femina non potest illud extenuare per propositum, & alia media, nisi ex-*

pellenda sit à domo, ut supponit hypothesis.

3658. Casus contingere potest, ut occasio proxima sit voluntaria viro, sed involuntaria mulieri. Voluntaria viro, in quantum ipse libere perit, & quarit. Involuntaria mulieri, in quantum ob sui pulchritudinem, experta est, quod etiam in aliis domibus eandem occasionem esse passa, nec alium modum vivendi sine eodem periculo habet, aliunde ipsa non quarit virum, sed passivè se habet, & patitur: Et consequenter, quod ipsa possit absolvi, quatuor præmissis conditionibus. Vide in pag. 3. prop. 41. ab Alexand. VII. damn. & in pag. 5. prop. 62. ab Innoc. XI. damn.

CIRCA OCCASIONEM PROXIMAM, quam quis patitur.

3659. **P**Lura congerit Sieri in suo Opusculo de Sacram. Pœnit. in editione de anno 1698. ut sequitur:

Quamvis quis fuerit in occasione proxima peccandi, mortaliter, est tamen dispositus, si eam nolit, sed patitur, dummodo adhibeat alia remedia necessaria ad vitandos relapsus.

Hanc propositionem concedit communis sensus Theologorum. Et ratio est, quia in tantum, qui voluntariè versatur in occasione proxima, quam potens tollere, non vult tollere, non est dispositus ad abolitionem Sacramentalem, quia habet actualem voluntatem peccandi, adeoque caret proposito sufficienti: Quod autem habeat voluntatem actualem peccandi, patet, tum quia vult causam, ex qua sequitur peccatum, unde censetur velle peccatum; tum etiam quia non vult adimplere id, ad quod tenetur sub peccato; tenetur autem sub peccato ad removendam occasionem proximam peccati. At hæc non militant in eo, qui patitur occasionem proximam peccandi, quia non vult causam peccati, adeoque non censetur velle peccatum, nec voluntariè omittit adimplere id, ad quod tenetur, quia non tenetur ad id, quod moraliter non potest præstare. Doctrinam hujus rationis brevibus complexus est Sanctus Basilus in *Const. Monast. cap. 4. fol. 489.* ubi dicit, in hujusmodi casibus hominem non amare periculum, sed illud invitum subire. Videatur etiam D. Thom. 2. 2. quæst. 10. art. 9. in corpore. Ex hac ratione apparet, causam excusantem ad non removendam occasionem proximam peccandi, talem debere esse, ut reddat remotionem moraliter impossibilem, adeoque non sufficere ad non fugiendam occasionem proximam peccandi causam alicuiam utilem, aut honestam: quod adeo verum est, ut opposita sententia damnata fuerit ab Innoc. XI. Et quidem merito, quia charitas propria dicitur, quod nulla utilitas sit præferenda periculo proximo peccandi; nec ulla ratio honestatis potest cohonestare perseverantiam in periculo proximo peccandi, adeo ut magnum bonum, non solum temporale, sed nec etiam spirituale possit reddere licitum, quærere directè occasione proxima peccandi, ut idem Pontifex declaravit, damnans oppositam sententiam. Addo, nec sufficere, quamcumque necessitatem permanendi in occasione proxima peccandi ad hoc, ut aliquis teneatur illam non remove. Est ergo requisita talis necessitas, ut reddat moraliter impossibile tollere occasionem proximam: Hæc autem necessitas esset gravis infamia, magnum dampnum, atque incommodum gravissimum, sive in temporalibus, sive in spiritualibus; hæc enim mala ingerunt moralem impossibilitatem.

Ex dictis sequitur primò, posse absolvi Chirurgum, quando sine suo gravi detrimento, vel infamia, non potest omittere exercitium suæ artis, quamvis in medendis feminis experiatur voluntarias pollutiones, dummodo adhibeat alia remedia, quæ videri possunt necessaria ad vitanda peccata. Idem iudicium sero de viris fundentibus christiter mulieribus. Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 45. & alii.

Sequitur secundò, Confessarium, etiam non Parochum esse dispositum ad abolitionem Sacramentalem, etiam si nolit recedere ab officio audiendi confessiones, quamvis in tali exercitio experiatur frequentes delectationes morosas, aut voluntarias pollutiones, si abstinendo à Confessione patiatur gravem infamiam, aut notabile detrimentum, & dampnum in bonis fortunæ, adhibeat, quæ alia congruentia remedia. Toletus, Castropal. & alii.

Inferitur tertio cum Navar. in *Sum. cap. 3. num. 27.* de Lugo disp. 14. de Pœnitent. num. 152. Suarez de Pœnitent. disp. 32. sect. 2. Reginaldo tom. 1. lib. 8. num. 19. Gratius p. 1. decis. cap. 28. num. 23. Coriolano de *Casibus reservatis*, fol. 76. Lopez p. 2. *Instruct. cap. 22.* & alii communiter, filios familias non teneri domum patris deserere, quando in ea esset talis occasio peccandi, quam ipse tollere non potest, quia in hoc non est sui juris, dummodo verè peniteat, & aliqua assueat emendatio, feratque propositum adhibendi alia media.

Inferitur quarto, Adolescentem sapienter peccantem cum filia domini, vel alia famula, si nequeat sine notabili damno occasionem remove, esse dispositum, quamvis in occasione permaneat, quia illam non vult, sed eam subit invitus. Tenedi *trab. de Sacram. Pœnit. disp. 3. q. 14.*

Inferitur quinto, Mercatores, Scribas, atque aliorum officiorum personas, non teneri deserere officia propria, quamvis in illis exercendis experiantur proximas occasiones peccandi, si dicta officia nequeant deserere sine notabili damno, puta quia non haberent aliunde, ex quo viverent. Castropal. *trab. 2. disp. 2. punct. 9. s. 3.* Navarrus, Gratius, & alii communiter.

Inferitur sexto cum Thoma Hurtado tom. 1. *trab. 1. cap. 7. resol. 5.* citante plures alios, Citha-

reos, Magistros scholaram, & similes absolvi posse, quamvis nolit sua ministeria omittere, & quamvis in illis experiantur occasiones proximas peccandi, si ad ea exercenda compellat urgens necessitas: Spectat autem ad prudentem Confessarium bene attendere in casu particulari, an verè subeunda essent gravis illa damna, & incommoda, si penitens hujusmodi occasionem tollat: Sapè enim non est prudens in penitente timor dicti mali subeundi, quia est nimis facilis falli, dum crederet dulce est.

Inferitur septimò cum communi, adolescentem non teneri, vel supra tabulam cubare, ne dormiat in lectulo cum fore, quamvis expertus, sit pluries peccasse; est enim gravissimum incommodum supra tabulam, vel humi dormire: Teneatur tamen alia media proportionata præstare, & ex eadem ratione optimè dixit Tancerè *trab. de Sacram. Pœnit. disp. 3. q. 14.* posse absolvi adolescentem, qui cum alio adolescente in lecto solet, habere tactus impudicos, etiam si non proponat deserere lectum, si deberet humi cubare, & alia media præstare.

Inferitur octavo, esse absolvendam concubinam, vel concubinarium, si nolit à cohabitatione separari, ob metum cadentem in constantem virum, ob metum, inquam, mortis, mutilationis, amissionis notabilis famæ, honoris; est enim necessitas urgens, quæ cogit. Thomas Hurtado, & ex ipso Leander *trab. 5. de Pœnit. disp. 7. q. 74.* Adhibere tamen debet alia remedia efficaciam, quæ absque isto gravi incommodo adhibere potest.

Inferitur nonò, posse absolvi, qui non statim, ejicit feminam, cum qua solitus fuit peccare, si gravissimum dampnum in re familiaris, ac pecunia deberet pati: Ovidius tom. 2. *trab. 6. contr. 3. num. 263.* dummodo cohabitatio sit ad breve tempus, ut notat Castropal. *trab. 2. disp. 2. punct. 9. s. 3.*

Inferitur decimò, esse dispositum ad abolitionem Sacramentalem illum, qui cum confanginosa, vel alia femina habitante in diversâ domo, habet frequentes tactus inhonestos, quamvis nolit abstinere ab ingressu illius domi ob gravem infamiam, quam subiret, nisi ingrederetur. Navar. in *Sum. in cap. 3.* dummodo tamen adhibeat alia remedia.

An autem, si postquam adhibita sunt alia remedia, & penitens sapienter absolutus in eadem relapsus sit peccata sine ulla emendatione, possit absolvi, quamvis nolit omittere illam occasionem, est gravissima difficultas, atque ea tota pendet ab illa questione, an in tali casu teneatur penitens subire illud grave dampnum, ut tollat occasionem proximam. Non teneri ad hoc, adeoque posse in prædicto casu absolvi, docet cum Vivaldo & aliis, Cardinalis de Lugo de *Pœnit. disp. 14. num. 156.* Ratio his Doctoribus est, quia si prima vice non tenebatur, neque deinde tenetur; nam cum

XX

occafio proxima non fit peccatum; sed difpofitio ad peccatum, poteft comonitari ex illo graviffimo damno, quod ex remotione occafionis subire deberet; & ut approbans hanc fententiam, ait Gobat in *Quin. tract. 3. cap. 32.* in tali cafu ille, qui occafionem proximam patitur, non vult, fed permittit peccatum, & exponendo periculo cum propofito refiftendi, quoad poterit. Quod adde firmum eft Cardinali de Lugo, approbantibus Di-caftillo, & Gobat, ut dixerit, Petrum conftitutum in periculo proximo peccandi, quod avertere nequit, nifi incurrat extremam paupertatem, & calamitatem, fi haberet revelationem, quod fit tentationi fuccubiturus, non teneri illam occafionem removere, adeoque poffe abfolvi, fi animum habeat utendi omnibus aliis mediis, quæ Confeffarius prudens injunget. At oppofitum docet Suarez de *Pœnit. difp. 32. fecl. 2.* cui affentior; quia fi adhibitis omnibus aliis mediis, perfeverans in illa occafione proxima, non experitur ullam emendationem, videtur, quod remotio talis occafionis fit unicum medium ad vitanda peccata, adeoque adfit obligatio tollendi tale periculum, nec ab hac obligatione eximitur ratione damni, quod paffurus erit, juxta illud, *fi oculus tuus, vel pes tuus scandalizat te, eripe eum;* & quidem debet homo, juxta Christi Domini præceptum, amittere potius omnia bona temporalia, ne animæ fuæ detrimentum patiatur. A fortiori dabunt hanc doctrinam Tannerus *tom. 4. difp. 6. num. 112.* Lopez in *Inftitutio, cap. 8.* Cajet. & Conradus, qui omnes docent; etiamfi nulla alia media fuerint inutiliter adhibita, adhuc non obftante quo-cumque damno, teneri hominem deferere occafionem proximam. Ad argumentum pro oppofita fententia refpondetur: Non teneri hominem, ante adhibita alia media, subire illud grave damnum, ex remotione occafionis; quia hæc remotio non apparet unice neceffaria ad vitanda peccata; apparet tamen unice neceffaria, fi poftquam adhibita funt alia media, hæc videntur infufficientia ad impediendos relapsus: Unde non eft mirum, fi antequam adhibita fuerint alia media, homo fit difpofitus ad Sacramentalem abfolutionem, non verò poft adhibita inutiliter alia media; nam in primo cafu, cum remotio occafionis non fuerit unicum medium, non tenebatur homo ad illud fufcipiendum cum notabili incommodo: In fecundo cafu cum cenfetur unicum medium, tenetur ad illud, etiam cum notabili incommodo; adeoque, fi illud adhibere reuatur, non eft difpofitus ad Sacramentalem abfolutionem.

Ubi obiter monco Confeffarios, ut omnino curent, quod illi, quorum confcientias dirigunt, vivant cautè in ufu opinionum, etiam probabiliorum; poteft enim accidere cafus, quod aliqua opinio confiderata præciã à circumftantiis appareat tuta, & tamen hic, & nunc non fit tuta in praxi,

vel ex eo, quod in praxi fit tractiva alicujus in-convenientis, adeoque illa eadem virtus, quæ prohibet illud inconveniens, prohibet etiam hic, & nunc uſum illius opinionis. Vel poteft accedere, quod uſus alicujus opinionis in praxi impediatur, quod medium unicum ad obſervantiam alicujus virtutis, ad quam tenemur ex præcepto; illa quidem virtus obligat; ne deducatur in praxim illa fententia. Vel poteft accedere cafus quod uſus alicujus opinionis fit cum periculo ruinæ animæ; hujusmodi fententiarum uſum, & reverentiam erga Deum, & amor præcipuæ falutis æternæ impediunt; v. gr. qui probabiliter credit; fe commiffurum peccatum, fi tali, vel tali occafione fe exponat, nequit fe illi occafioni committere, licet etiam probabiliter judicet, nullum patratum peccatum; nam hoc fecundum judicium poteft eſſe fallax, ac propterea, qui eo duceretur, traheretur ad periculum ruinæ, ut merito, ac rectè difcurrunt communiter ſcholæſtici contra pauculos.

Hæc Sieri.

3660. In recentis tamen corollariis eſt (maximè quoad praxim) attendendum, fi fit vera impoſſibilitas moralis, & non figuretur: Et ubi ea eſt vera, fi verè præmiſſa quatuor remedia adhibeantur, & non pallientur, quod contingere poteſt in pluribus. Sic exemplum in corollario decimo, ubi non video præctiam impoſſibilitatem moralem; quæ inquam moralis impoſſibilitas eſt viro ad abſtinentiam ab ingreſſu diverſæ domus, ubi eſt mulier, cum qua frequentes tactus inhoneſtos eſt expertus? Sæpe quis occupationis ſupervenientis cauſa, folet diù deſiltere ab accellu domus mulieris, quam frequentare ſolebat, abſque ulla impoſſibilitate morali, & abſque eo, quod inde gravis infamia oriatur; hoc igitur idem, quod præctiatur neceſſitate; cur non poteſt præctiari virtute?

3661. Inſuper Cardenas diſſert. 40. num. 155. rectè ait, cadere ſub damnatione Innoc. XI. in prop. 62. opinionem, quam non pauci docent, nempe licitum eſt non fugere occafionem proximam cum jactura divitiarum, ſeu honorum fortune: non enim limitat ad urgentem neceſſitatem moralem concubiniarii, neque ad impoſſibilitatem moralem. Quare iſta cauſa, quam afferunt, ut concubiniarius non teneatur expellere occafionem proximam, manet intra terminos ſolius utilitatis, atque in terminis comprehenſis ſub damnatione.

3662. In quolibet ergo cafu occafionis proximæ, quam quis patitur, non eſt danda patienti abſolutio, niſi impoſſibilitas moralis fit vera, & quatuor remedia verè ab eo adhibeantur, juxta dicta à num. 3658. Et accuratè eſt attendendum, ne fiat palliatio, & paſſio obcecet. Et favor monitioniſ P. Sieri in fine. De occafione proxima involuntaria agit Aut. à Spir. S. de Sacram. Pœnit. tract. 5. difp. 3. à num. 127. ad 183.

QUÆ-

QUÆRES I:

3663. Sacerdos, qui eſt in occafione proxima, quatenus recinet domi concubinam, Sacris induſus veſtibus in Sacrificia conſtituitur, & promittit Confeffario, ſe eſſe tunc concubinam: An Confeffarius debeat illum abſolvere?

R Eſp. nec debere, nec poſſe, maximè, ſi facta interrogatione, reperiat, idem aliis vicibus promiſſiſſe, & non ſervaffe promiſſum. Ratio eſt, quia ex una parte negando abſolutionem impedit periculum nullitatis Sacramenti, & ſacrilegii ob periculum indiſpoſitionis Sacerdotis, quæ quidem ſtantibus circumſtantiis rationabiliter præſumitur. Ex alia parte non facit injuriam Sacerdoti; quia poteſt ſibi providere per veram contritionem. Vide tom. 3. à num. 279.

QUÆRES II:

3664. An Confeffarius poſſit permittere penitentem, qui concubinam dimiſit, ut ad ejus domum accedat ad viſendos filios, quos ex ipſa genuit?

A ſſirmat Sanctius in *Seleſtis, diſp. 10. num. 9.* Si non fit periculum reincidentia, nec ſcandalum, in quantum conſtet de emendatione.

Sed rectius Clericus cap. 122. num. 33. cum Diana docet, non debere accellum permittere ſine neceſſitate, & tunc non niſi cum probis ſociis, Vide num. 3646.

PRUDENTIA CUM RECIDIVIS.

3665. R Ecidivitas, ſeu conſuetudo peccati propriè diſtinguitur ab occafione proxima; quia occafio proxima, ex num. 3636. ultra periculum formale peccandi dicitur occafionem extrinſecam; conſuetudo verò eſt frequens reincidentia in idem peccatum, ſine emendationis apparientia, orta ex intrinſeca fragilitate; hinc conſuetudinarius, & recidivus dicitur juvenis, qui frequenter ſe poluit, nullam emendationem offendentem, hic quidem non tenetur ad occafionem repellendam, quia occafio eſt ipſa fragilitas carnis juveni intrinſeca, & involuntaria; tenetur ad periculum formale vitandum, aut ſaltem extenuandum per actus proprios ſupernaturales.

3666. Nomine autem conſuetudinarii, & recidivi, quoad prudentiam Confeffarii, veniunt etiam illi, qui ſunt in occafione proxima extrinſeca involuntaria, ob impoſſibilitatem phyſicam, aut moralem eam repellendi. Bertaldus in *Reg. prud. cit. & Tamb. tom. 2. in Meth. Confess. lib. 3. cap. 3. §. 4.*

3667. Item, aliud eſt (ait Cardenas) negare conſuetudinario abſolutionem, donec auferat conſuetudinem, & aliud per unam, vel alteram hebdomadam abſolutionem diſſerre, ut vim ſibi inferat contra conſuetudinem. Hic præmiſiſis,

3668. Dico 1. Confeffarius, ſi vel ex præviis monitionibus, vel ex proprio remorſu videt in conſuetudinario aliquam emendationem, quatenus non cum tanta frequentia, fed rariùs cadit, debet illum abſolvere; Tamb. & Bertaldus cit. quia tunc pe-

nitens eſt difpofitus, & ſtante aliqua emendatione, habet jus ad abſolutionem, & denegatio, aut dilatio abſolutionis, poſſet cum deſperare, ut caderet in pejus. Hinc,

3669. Dico 2. Confeffarius deſperans de emendatione conſuetudinarii, ſi prudenter diſcernit, eum non habere verum propoſitum non peccandi, ſed remiſſum, aut ore tenus, debet abſolutionem denegare, aut diſſerre, donec reperiat eum difpofitum cum firmo propoſito non peccandi. Si verò in eo diſcernat verum propoſitum non peccandi, poteſt liberè eum abſolvere, fed etiam poteſt abſolutionem diſſerre. Card. diſp. 39. cap. 5.

Aſſertio tres habet partes. Ratio 1. Quia tunc penitens non eſt difpofitus, cum ei deficiat verum propoſitum.

3670. Ratio 2. Quia tunc penitens eſt vere difpofitus, adeoque poteſt Confeffarius illum abſolvere, juxta illud Trident. ſeſſ. 14. cap. 2. Penitens per Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed toties quoties ad penitentiam tribunal conſugerit, poſſe ab admiffis peccatis liberari, & D. Hier. epiſt. 46. ad Ruſſicum: Non ſolum ſepies, ſed ſepuagies ſepies delinquenti, ſi converteatur ad penitentiam, peccata condonantur. Vide num. 3073.

3671. Ratio 3. Quia Confeffarius non ſolum eſt iudex, fed etiam medicus; & quia dilatio abſolutionis eſt validum remedium ad curandum, aut ſaltem extenuandum morbum conſuetudinis peccati; ideo poteſt Confeffarius illud adhibere, quando prudenter expeditis judicaverit. Ad hoc autem (in innuit Cardenas cit. cap. 2. num. 12.) magna requiritur prudentia in Confeffario; nam remedia, quæ aliquibus proſunt, aliis poſſunt nocere ob diverſas infirmorum diſpoſitiones. Id etiam inſinuat Conc. Later. in cap. Omnis viriſque ſexus dicens: Sacerdos autem fit diſcretus, & cauſus, ut mare periti medici ſuperinfundat vinum, & oleum vulneribus ſauciatis.

Confeffarius igitur fit medicus, non carnifex, & ejus finis fit ovem lucrari, non perdere. Vide in pag. 5. prop. 60. ab Innoc. XI. damn. & num. 3052.

PRUDENTIA CUM MERETRICIBUS.

3672. T Ambur. in *Meth. Confess. lib. 3. cap. 3. §. 5.* cum Bauci, & Navar. abſolute tenet, meretricem in Iupanari exiſtentem poſſe abſolvi, concurrentibus tribus, videlicet. 1. Juſta cauſa permanendi in eo loco, quatenus hic, & nunc alium non habet, ita tamen, ut omni conatu curet aliò abire. 2. Vera deſteſtatione peccati. 3. Conſtanti propoſito Dei auxilio non peccandi in ea occaſione.

3673. Dico: Si hujusmodi meretrix accedat ad Confeffarium ſponte, ex vera penititudine, & cum eximio dolore, tunc poſſe abſolvi, concurrentibus dictis tribus, maximè ut à num. 3652.

Si verò accedat tempore Paſchali, ut ſatisfaciat

Xx 2

præ-

præcepto, non debere statim absolvi, sed differendam esse abolutionem juxta prudentiam Confessarii, attendens ejus frequentia ad peccandum; quia tunc potest prudenter dubitare, an propositum sit efficax, & constans. Eximitur semper casus, quo ista extraordinarium dolorem, & propositum haberet, ut Confessarius prudenter discerneret, eam à Deo efficaciter tactam, & victam; tunc quidem expediens est, ut statim absolvat, monitionibus confirmet, & Sacramentorum frequentia muniat.

CAPUT VI.

DE PECCATIS.

PECCATUM PHILOSOPHICUM.

3674. **C**elebris, sed non satis clara est divisio peccati actualis in *Philosophicum*, & *Theologicum*: quamplurimum autem expositionum confusione seclusa.

Hæc quidem divisio solum habet locum in actibus ab intrinsicis malis, ut perjurio, homicidio, odio Dei, &c. Hoc præmissis.

3675. Dico: *Peccatum Philosophicum*, & *Theologicum* non distinguunt nisi penes diversas considerationes; idem enim peccatum, v. gr. homicidium innocentis, dicitur *Philosophicum* consideratione, ut contrariatur naturæ rationali, seu rationi: dicitur *Theologicum* consideratione, ut offensa Dei, & contrariatur legi æternæ: consideratio enim rationis, & virtutis moralis naturalis est *Philosophi*; consideratio verò Dei ejusque legis æternæ est *Theologi*: Hinc homicidium innocentis consideratione, ut contrarium principio naturali rationis: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*, dicitur peccatum *Philosophicum*; consideratione verò, ut contrarium legi æternæ, *Theologicum*.

Revera tamen, & ex natura rei idem peccatum, nempe idem homicidium innocentis est *Philosophicum*, & *Theologicum*; quia eo ipso, quod adversatur rationi naturali indispensabiliter, adversatur Deo, ejusque legi æternæ, adeoque est offensa Dei, & peccatum *Theologicum*. Unde non datur peccatum *Philosophicum* re ipsa, & in praxi à *Theologico* separatum; non enim dari potest homo legis naturalis invincibiliter ignarus.

3676. Lex namque æterna interior Dei, ex *num. 142.* non consistit in imperio libero ad extra, sed in judicio intellectus representantis bonum, & malum naturale, & in actu voluntatis divine reprobato, & dissidentis circa malum; approbativo, & complacentis circa bonum, explicato per verbum indicativum *Nolo* malum, v. gr. homicidium; *solo* bonum; v. gr. dilectionem proximi.

3677. Quæ lex (ut vides) est naturalis, & necessaria, estque lex propriè dicta, & obligatoria, quia actum divinæ voluntatis includit. Quæque lex

nobis innotescit, & intimatur independentè à revelatione, & locutione libera extrinseca, sed per lumen naturale, eo tempore, quo homines usum rationis accipiunt, ita ut usus rationis sit dictæ legis notificatio, & intimatio; hinc per hujusmodi legem incipiunt discernere inter bonum, & malum, adeoque ex eo tempore lex naturalis incipit obligare. Quare, si non supervenisset lex externa Dei per revelationem, & locutionem liberam factam Moysi, prohibens homicidium, & præcipiens dilectionem, adhuc obligati essemus ad non occidendum, sed diligendum; hujusmodi namque locutio, seu imperium liberum non est aliud, nisi externatio legis æternæ naturalis interioris.

3678. Quod autem detur hujusmodi lex naturalis intimata nobis per usum rationis, & naturæ lumen, independentè ad omnem promulgationem externam, suadet Regius Páltes in Psalm. 4. qui, cum interrogasset: *Quis offendit nobis bona?* Ut scilicet ea sequamur, respondet: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Hinc Paulus ad Rom. 2. *Gentes naturaliter ea, que legis sunt, faciunt, & sibi ipsi sunt lex, & offendunt opus legis inscriptum in cordibus suis.* Et tandem Cicero I. de Legibus, legem naturalem definit, quod sit: *Ratio summa insita in natura, que jubet ea, que facienda sunt, prohibetque contraria.*

3679. Insuper ultra lumen naturæ legem æternam cunctis hominibus intimans, & Deum esse demonstrans, (Dei namque existentia est naturaliter cognoscibilis) dantur divina auxilia sufficientia, ut non detur in praxi ignorantia invincibilis Dei, & legis naturalis æternæ.

3680. Firmiter demonstratur ex serâ, & sincera Dei voluntate, qua teste Apostolo 1. ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Super quo præclarum est testimonium D. Clem. Rom. lib. 2. *Const. Apost. cap. 59. Ex ore Domini nostri Jesu-Christi audivimus, & perfecte sententes didicimus, que sit voluntas Dei, bona, placens, & perfecta, per Jesum-Christum nobis demonstrata, ut nullus intereat, sed universi homines unanimi sententia credentes ei, & unanimem laudem ferentes in eum, vivant in æternum.*

3681. Ex quo fit, ut nullum hominem Deus delinquerit mediis sufficientibus, & necessariis ad sui, & fidei cognitionem. Et quidem sua universali, & mirabili providentia, teste Joanne cap. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Hinc Theologi docent, nullum esse infidelibus esse, quem Deus per se ipsum, aut per Angelum Custodem non illuminaverit; live explicitè, prædicatores mittendo, vel internè suggerendo fidem; live implicitè, inspirando quod facta, in qua versatur, sit falsa, ac proinde verum inquirat: quod quidem assertum suadetur, tam ex recensito testimonio Joannis, quam ex diligenti Angelorum custodia; quoniam sicut Angelus tentator non semel fi-

de-

deles vexat circa mysteria Fidei, ita credibile est, quod Angelus Custos non semel infidelibus inspiret, quod facta, in qua versatur, sit falsa.

3682. Præterea efficacibus, & præclarioribus mediis munire volens (ut ait Paulus 2. ad Corinth. 5.) *Pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & surrexit:* adeoque nullus hominum est ex fidelibus, & infidelibus, gentilibus, & atheistis, qui influxum à Jesu-Christo non accipiat. *Vide in pag. 6. prop. 4. 5. & 6. ab Alex. VIII. damn.*

3683. Hinc colliges, in actibus ab intrinseco malis malitiæ *Philosophicæ* esse naturaliter annexam malitiam *Theologicam*, seu offensam Dei, & peccatum mortale, cui correspondet pœna æterna, à cuius incurfu ignorantia non excusat; quia pœna æterna non est pœna extraordinaria, ut censura, &c. sed ordinaria, & quasi naturalis annexa culpæ lethali; adeoque qui liberè, & adverterter consentit in malitiam moralem naturalem gravem, tacitè consentit in pœnam æternam, quoniam nedum *Philosophicè*, sed etiam *Theologicè* peccat, cum offendat Deum.

3684. Hac ratione, qui in lege naturæ contra eam graviter deliquerunt, peccato mortali, & *Theologico* peccaverunt; & si in eo decesserunt, damnati sunt, ut in Caino contingere poterit.

3685. Totam rem mirè firmat, & declarat Apost. ad Rom. cap. 2. dicens: *Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.* Idem (inquit Lyranus) legem scriptam non habentes, quales fuerunt Gentiles, sine lege scripta peribunt; quia habuerunt legem naturalem bonum, & malum ostendentem; & ideo Gentiles operantes contra dictamen illius legis, merchantur puniri, & viventes secundum ipsam, præmiari. Unde concludit Apost. *Cam enim Gentes, que legem non habent, scilicet Mosaicam, naturaliter ea, que legis sunt, faciunt; scilicet ex naturali dictamine rationis, ejusmodi legem non habentes, scilicet Mosaicam, ipsi sibi sunt lex:* id est ratio naturalis, que est principior pars hominis, propter quam dicitur totus homo, ipsa quidem est eis lex; quia lex scripta Divina, vel humana, est à lege naturali derivata, quantum ad agibilia; quia prima principia agibilia sunt impressa intellectui pratico, ex quibus derivantur Leges quasi quedam conclusiones.

3686. Proinde Apost. cap. 5. ut removeret objectionem quandam, qua fieri posset, quod peccatum, utpotè quod delinuitur: *transgressio legis Divina*, non fuerit ante legem scriptam, inquit: *Utique ad legem enim peccatum erat in mundo;* quia licet antea non erat lex scripta, erat lex naturalis inserta mentibus humanis. *Peccatum autem* (prosequitur Paulus) *non imputabatur, cum lex, scilicet scripta, non esset.* Non quia Deus non imputabat illud in offensam, & ad pœnam; sed quatenus tam creverat Gentium malitia, & pãsis carnis, quod lex natu-

ralis fuerit offuscata, in tantum, ut ejus transgressionem Gentes non reputabant peccatum, sed peccata sicut aquam bibebant, & sine rubore, etiam publice committebant; unde in Genes. 6. dicitur: *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis inventa esset ad malum omni tempore, pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra.* Et Gen. cap. 19. *Delelimus enim locum istum, eo quod intrevenerit clamor eorum coram Domino, qui misit nos, ut perducamus illos.* Unde Sancti Patres dicunt, hanc, scilicet offuscationem legis naturalis, fuisse unam ex causis, ut Deus legem scriptam dederit.

3687. Revera tamen ante legem scriptam fuit peccatum; quia fuit lex naturalis, cujus transgressio est peccatum. Constat ulterius ex pœna, nam ait Apost. ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, in pœnam; propter peccatum enim Deus ante legem scriptam punivit aquis diluvii totam carnem, & igne Sododomorum Urbes; Hinc teste eodem Apost. ad Eph. cap. 5. propter hæc enim, scilicet fornicationem, immunditiam, & avaritiam; venit ira Dei in filios dissidentia.*

3688. Hinc merito ab Alex. VIII. 24. August. 1690. damnata fuit propositio sequens:

Peccatum philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi, theologicum verò, & mortale est transgressio libera Divina legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actum non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

3689. Exindè excluditur primò error eorum, qui conceptus formales peccati *Philosophici*, & *Theologici* solum metaphysicè (& ut melius dicam) secundum diversa connotata, & varias considerationes distinctos, in re, & practicè separantes; insuper ignorantiam Dei invincibilem practicè, imò regulariter admittentes, dixerunt, Americanos, Romanos, & Gentiles, qui vitam adulteriis, stupris, furtis, & homicidiis plenam duxerunt, non peccasse peccato *Theologico*, quia Deum non cognoverunt, sed solum peccato *Philosophico*, in quantum præmissa delicta solum contraria rationi naturali cognoverunt; ac proinde non commisit offensam Dei, nec fuisse æterna pœna dignos.

3690. Secundò excluditur error eorum, qui Molinistarum errores sectantes, & latam viam peccandi licentia aperire volentes, præcisiones objectivas, imò, & formales practicas, ac phycas chymizavere, dicentes, animas unitas, tentationibus carnis urgentibus, non debere curare, quid agant sensus, sed in Dei amore, & unione peristere; & si tunc sensus in libidines, etiam viri cum muliere prorumpant, non peccare *Theologicè*; quia nec offensam Dei, nec Deum actum cognoscunt. *Quæ major*